Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



math

ibi erit fletus et stridor dentium Et dixit Iesus centurioni Vade
et sicut credidisti fiat tibi Et sanatus est puer in illa hora Et
cum venisset Iesus in domum petri vidit socrum eius iacentem
et febricitantem et tetigit manum eius et dimisit eam febris et
surrexit et ministrabat eis Vespere autem facto obtulerunt ei multos
demonia habentes et eiiciebat spiritus illudos verbo et omnes male
habentes curauit vt adimpleret hoc dictum est per ysaiam prophetam dicentem
Ipse infirmitates nostras accepit et egritudines nostras portauit Vi
dens autem Iesus circa se multitudines iussit ire trans fretum Et
accedens unus scriba ait illi Magister sequar te quocumque ieris Dicit
illi Iesus Vulpes foueas habent et volucres celi nidos filius
autem hominis non habet vbi caput suum reclinet Alius autem de discipulis
eius ait illi Domine permitte me primum ire et sepelire patrem meum
Iesus autem ait illi Sequere me et dimitte mortuos sepelire mor
tuos suos Et ascendente eo in nauicula secuti sunt eum discipuli
eius et ecce motus magnus factus est in mari Vt
fluctuaretur Ipse uero dormiebat Et accesserunt ad eum discipuli eius et suscitauerunt
eum dicentes Domine saluum nos fac Et dicit eis Quid timidi estis modice
fidei Tunc surgens imperauit ventis et mari
Et facta est tranquillitas magna Porro homines mirati sunt dicentes
Qualis hic est quia venti et mare obediunt ei Et cum venisset
Iesus transfretauit in regionem gerasenorum ecce occurrerunt ei duo homines
habentes demonia exeuntes de monumentis seuis nimis
ita ut nemo posset transire per illam viam Et clamauerunt dicentes
Quid nobis et tibi Iesu fili dauid Ecce venisti huc ante tempus
torquere nos Erat autem non longe ab illis grex porcorum multorum
pascens Demones autem rogabant eum dicentes Si eiicis nos
hinc dimitte nos in porcos Et ecce impetu magno abiit totus
grex per preceps in mare et mortui sunt in aquis Pastores autem fugerunt
Et venientes in ciuitatem nunciauerunt hec omnia et de hiis qui de
monia habuerunt Et ecce tota ciuitas exiit obuiam ihesu Et
visso eo rogabant ut transiret a finibus eorum IX

Et ascendens Iesus in nauicula transfretauit et venit in ci
uitatem suam Et ecce offerebant ei paralitum iacentem in lecto